

disponente, videmur existere. Tuis igitur, frater in Christo reverendissime Landrice, justis petitionibus annuentes, sanctam Matisconensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, præsides apostolicæ sedis auctoritate munimus. Statuimus enim ut ecclesia de Prisciaco, de Fabricis, de Verchessoto, de Mardubrio, ecclesia Sancti Amoris et cætera omnia que tua fraternitas ex hostium manibus crepta reparavit, universa etiam quæ justè ad eamdem ecclesiam pertinere noscuntur, tibi tuisque successoribus libera semper et illibata serventur. Interdicimus etiam ut, te ad Dominum evocate, vel tuorum quolibet successorum, nullus omnino invititus vestræ ecclesiae clericis aut episcoporum aut ecclesiæ res auferre, diripere vel distrahere audeat; ipsum autem clericorum claustrum, et claustri domos ita semper liberas permanere sancimus ut nemini illis violentiam licet irrogare. Ad hæc adjicientes decernimus ut quæcumque in posterum liberalitate principum vel oblatione fidelium vestra ecclesia justè et canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Si quis sane archiepiscopus, aut episcopus, aut imperator, aut rex, dux, comes, vicecomes, judex, aut ecclesiastica quælibet stœcularis persona, hujus privilegii paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, et in extremo districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justæ servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipient, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Cluniaci, per manus Joannis, sanctæ Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis, xv Kalendas Novembbris, indictione vii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, pontificatus autem domini Urbani II papæ octavo.

## CLV.

*Urbani II epistola ad Guarnerium de Castellione.* — *Illi sub excommunicationis poena præcipit ut Lambertum, episcopum Atrebatensem, in itinere ad synodum captum dimittat.*

(Anno 1095.)

[MANSI, Concil. XX, 695.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio GUARNERIO, Pontionis filio, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierit.

Venerabilem fratrem nostrum Atrebatensem episcopum ad concilium venientem te cepisse audivimus, et cur ceperis plurimum miramur. Rex enim Francorum non solum venire ad nos alios non prohibet, verum etiam omnibus suæ potestatis episcopis et abbatibus venire ad concilium licentiam

A dedit. Unde litteris te præsentibus ut captum comonemus episcopum pro reverentia B. Petri ac nostro amore cum suis omnibus liberum adire permittas; alioquin quandiu illum tenueris, et te et terram tuam excommunicationi subjiciamus.

## CLVI.

*Urbani II epistola ad archiepiscopum Senonensem.* — *Mandat, commoneat Guarnerium ut episcopum Atrebatensem dimittat.*

(Anno 1095.)

[MANSI, Concil. XX, 695.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo fratri Senonum archiep. RICHERIO, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus Guarnerium, Pontionis filium, venerabilem fratrem nostrum Atrebatensem episcopum ad concilium venientem cepisse, captumque retinere, ea propter litteris te præsentibus jubemus ut eumdem Guarnerium captum præsulem cum suis omnibus libertati restituere commoneas. Quod si contempserit, quandiu illum tenuerit, et ipsum et locum suum excommunicationi subjicias.

## CLVII.

*Privilegium pro monasterio Silviniacensi.*

(Anno 1095.)

[Bibliotheca Cluniacensis, p. 509.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, filius in Domino charissimis Silviniacensis cœnobii monachis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam supernæ benedictionis dignitate multiforma actum est ut nos ipsi monasterium vestrum, et beati Majoli corpus intra ecclesiam ad locum alium transferre meruerimus, dignum duximus, eum Cluniacensis cœnobii, cui tanquam membra capiti singulariter inhaeretis, dilectione præcipua, tum religionis vestræ reverentia, vos et locum vestrum specialius sedis apostolicæ protectione munire. Eapropter præsente confratre nostro venerabili Duratio, Arvernensi episcopo, constitutus ne pro communī parochiæ excommunicatione, vel interdictione, ullo unquam tempore cœnobium vestrum interdictionis aliquius jacturam sentiat, nec ulli viventium facultas sit infra monasterium, seu villæ adjacentis ambitum, aut assultum facere, aut quemlibet hominem capere vel deprædari. Unde etiam egregium militem Archimbaldum sub manus propriæ stipulatione in manum nostram polliceri, supra parentis proprii tumulum fecimus, ut universa quæ pater aut avi ejus loco vestro contulerant, tam in rebus quam in immunitatibus et consuetudinibus, omni vitæ sue tempore debeat illibata servare, etc.

Datum apud Monticulum, per manum Joannis, sanctæ Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis, Idibus Novembbris, indict: iii, anno Dominicæ Incarnationis 1097, pontificatus autem domini papæ Urbani VIII.